



DE ORDINIBVS CONFERENDIS.



Quando Episcopus ordinationē facere disposuerit, omnes, qui ad sacrum ministerium accedere voluerint, feria quarta ante ipsam ordinationem, vel quando Episcopo videbitur, ad ciuitatem euocentur. Episcopus autem Sacerdotibus, & alijs prudentibus viris, peritis diuinæ legis, ac in Ecclesiasticis functionibus exerci-

tatis, sibi ascitis, ordinandorum genus, personam, ætatem, institutionem, mores, doctrinam, & fidem diligenter inuestiget, & examinet.

Nullus ad Subdiaconatus Ordinem ante vigesimum secundum, ad Diaconatus ante vigesimum tertium, ad Presbyteratus ante vigesimū quintum ætatis suæ annum promoveatur. Sciant tamē Episcopi non singulos, in ea ætate cōstitutos, debere ad hos Ordines assumi, sed dignos dumtaxat, & quorum probata vita sene-